



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

VIII. Literæ Ottonis Choro & Capitaneis post reditum a sede Apostolica
destinatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

datum domini Apostolici reuersus, in sancto die sacrosan-
ctæ Pentecostes, petentibus nuncijs * talis suæ ab ipso do-
mino Apostolico inuestitur, multoq; decore ac letitia totius
curiæ, sancti spiritus inuocatione, inter missarum solennia
in Episcopum consecratus est. Et reuertens de itinere li-
teras expectanti Ecclesiæ suæ præmisit.

**LITERÆ OTTONIS CHORO
& Capitaneis post reditum a sede Apo-
stolica destinata.**

VIII.



O TTONI Dei gratia Babenbergensis
Episcopus, **EBERHARDO** Præposito, **ADAL-
BERTO** Decano, cæterisque fratribus omne
bonum.

Quantum ego noui & expertus sum caritatem vestram,
scio vos iam diu expectare euentum nostri laboris, vt de
nostro successu siquidem bene, per misericordiam Dei
gaudeatis. Ne ergo diutius suspensi aut dubij sitis de nobis,
aut si iustum est sincerissime gaudeatis, literis istis vobis si-
gnificare decreuimus, quàm misericorditer Deus more
suo post immensos labores, & sudores plurimos, nobiscum
operatus sit. In die Pentecostes sancto, qui ex aduentu
sancti spiritus factus, & cunctis fidelib^o vniuersæ solennis est,
illo inquam die, Deo sic ordinante in **ANANIA** ciuitate
CAMPANIÆ, quæ **ROMANAM** diuidit & **APULIAM**, Epi-
scopalis benedictionis munus, quamuis indignus, domi-
no largiente suscepi; venerabili Papa domino **PASCHA-
LI** manum imponente; cæteris vero Episcopis plurimis
cooperantibus; Clero quoq; Romanæ Ecclesiæ, cuius
magna pars ea die in eandem ciuitatem conuenerat,
astante

stante & consentiente & quod nulli à Romano Pontifice consecrato nostris temporibus contigit, sine obligatione alicuius iuramenti consecratus sum. Huius loci, huius diei, huius gratiæ misericordiæ Dei semper memores esse debemus, vt vos memores esse velitis cum gratiarum actione, obnixè precamur; præcipue cum aliâ quam plures venerandæ personæ de magnis rebus ad Apostolicam sedem agentes infecto negotio redierunt. Valet.

COMMENDATIO DOMINI
Papa pro Ottone.



POSTOLICVS vero has commenda- IX.
cias literas Ecclesiæ scripsit, pro dilectione Ottonis Episcopi.

PASCHALIS Episcopus, seruus seruorum Dei Clero & populo Babenbergensi salutem & Apostolicam benedictionem.

Quantæ affectionis debitæ Babenbergensis Ecclesia ab ipso suo constitutionis primordio, sedi Apostolicæ constringatur, & si nos lateret, literarum vestrarum significatio manifestat. Quod affectionis debitum, venerabilis frater OTTO, vestræ Ecclesiæ electus, non instanter tenuisse ac tenere cognoscitur, cum per tot & tanta pericula ad Apostolicæ sedis visitationem percurrat. Nos igitur eum debitæ benignitatis affectione suscepimus, & iuxta vestræ dilectionis desiderium, nostris tamquam Beati PETRI manibus, saluo Metropolitanæ iure vobis per Dei gratiam Præsulem ordinauimus. Hunc igitur sub præsentium litterarum prosecutione ad Ecclesiæ vestræ regimen remittentes, plena hortamur affectione diligi, plena humilitate venerari.